AUSPICE DEO OPTIMO, MAXIMO,
EX CONSENSU ET AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRI ACADEMIA REGIOMONTANA,
PRAESIDE
VIRO MAGNIFICO, CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO,
atque EXCELLENTISSIMO,
DN. JOHANNE STEIN/
U.J.D. ET PROFESSORE ORD. PRIM. FAMIGERATISSIMO, SUMMI, QUOD EST IN BORUSSIA, TRIBUNALIS, ET CONSISTORII SAMBIENSIS, CONSILIARIO GRAVISSIMO, NEC NON FACULTATIS JURIDICAE h.f. DECANO SPECTABILI,
DOMINO PATRONO, AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE,
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU, AETATEM
DEVENERANDO,
DISSERTATIONEM JURIDICAM,
DE
CONJUGIO MARIS PAUPERIS, ET FOEMINAE LOCUPLETIS,
QUAE EXHIBET VERITATEM PROVERBII GERMANICI:
Geld schadet der Liebe nicht/
PRO FACULTATE LEGENDI, RITE ET LEGITIME IMPETRANDA,
AD D. XXVII. SEPT. A. O. R. MDCCXX.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT
CHRISTIANUS CRAMERUS,
SCHIFFENB. BORUSS. U. J. CANDIDATUS.

REGIOMONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

ALBERTO ERNESTO

COMITI

de SCHLIEBEN,

Dicasterii, quod est in Borussia, Aulici Praesidi Fulgidissimo,

Nec non

Praefecto, Districtuum, Gerdavensis & Nordenburgensis, haereditario,

Domino Haereditario Terrarum Klingbeck / Morren/

Reliqua,

Maecenati Literarum Gratiosissimo,

Justi-

Juſtitiam comitem fidelem,
Vitam longaevam,
Valetudinem inconcuſſam,
Felicitatem perpetuam
precatus,
Hanc Diſſertationem, in devotae
mentis documentum,
conſecrare,
Seque, in Clientelam Tanti Patroni,
commendare

voluit

CHRISTIANUS CRAMERUS.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DE CONJUGIO MARIS PAUPERIS, ET FOEMINAE LOCUPLETIS.

SUMMARIA.

INgressus dissertationis, & pauperis etymologia. §. I.

Ejusdem homonymia. §. II.

Locupletis derivatio, & varia acceptio. §. III.

Conjugii etymologia. §. IV.

Ejusdem synonymia. §. V.

Conjugium mariti pauperis, & foeminae locupletis definitur. §. VI.

De quonam hôc locô agatur? §. VII.

Differentia indigitatur à concubinatu. §. VIII.

A matrimonio ad morganaticam contractio. §. IX.

Proponitur quaestio palmaria: Utrum in ducenda uxore, ad divitias sit respiciendum? *Ibiq; proferuntur argumenta negantium.* §. X.

Argumenta affirmantium. §. XI.

Statuitur: Non postremam quidem divitiarum, potiorem tamen morum, habendam esse rationem. *Considerandos esse mores, probatur.* §. XII.

Probatur non postremam divitiarum habendam esse rationem. §. XIII.

Respondetur ad argumenta contraria. §. XIV.

Qualis aequalitas in hoc conjugio adesse debeat? §. XV.

Aequalitas geometrica est observata, in conjugio viri pauperis ast genere nobilis, & foeminae locupletis, sequioris tamen conditionis. §. XVI.

Item: in conjugio viri pauperis, quem tamen virtus nobilitat, ac eruditio ornat, & foeminae locupletis. §. XVII

It: si foemina locuples, deformis tamen, pauperem quempiam formosum sibi desponderit. §. XVIII.

Pariter: inter maritum pauperem, qui interim honestam quandam artem callet, vel negotiandi professionem didicit, & uxorem locupletem. §. XIX.

Non vero haec geometr. aequalitas observata, in conjugio juvenis pauperis, & vetulae locupletis. §. XX.

Melius observata, inter senem pauperem & juvenculam locupletem. §. XXI.

Alimus observata, si uterque conjugum tenerae adhuc aetatis fuerit. §. XXII.
Idem dicitur, de conjugio prodigi cum foemina locuplete. §. XXIII.
Traduntur effectus hujus conjugii. §. XXIV.
An potestas marito pauperi competat in personam uxoris locupletis? §. XXV.
Quomodo hâc potestate maritus pauper uti debeat? §. XXVI.
Quomodo hanc potestatem maritalem agnoscere teneatur uxor locuples; ubi quaeritur: An uxori locupleti, à marito paupere, imperium per pacta concedi possit? §. XXVII.
Quale jus marito pauperi competat in operas uxoris locupletis; & quidem obsequiales? §. XXVIII.
In operas artificiales? §. XXIX.
In bona uxoris locupletis; hinc quaestio: An conjugium maris pauperis & foeminae locupletis inferat communionem bonorum? §. XXX.
An communio bonorum deduci queat ex Jure civili Romano? §. XXXI.
An ex Jure Canonico? §. XXXII.
An ex statutis particularibus, & & praesertim Jure Prutenico? §. XXXIII.
Quaenam bona de Jure Prutenico communicentur? §. XXXV.
An maritus pauper è bonis locupletis uxoris sit alendus? §. XXXV.
An debita, à marito paupere contracta, sint exsolvenda? §. XXXVI.
Distinguitur aes alienum, constante matrimonio contractum, ab aere alieno antea constato; Illudque de Jure Prutenico exsolvendum esse probatur. §. XXXVII.
An hoc exsolvendum? inquiritur. §. XXXVIII.
Resp. Distinguendo: an sciens prudensque viro antea obaerato nupserit, an ignara? §. XXXIX.
An ab hujus aeris alieni exsolutione absolvatur vidua. §. XL.
Contrariari videtur huic conjugio, primò error fortunae; hinc quaestio: An hujusmodi error vitiet conjugium? §. XLI.
Deinde dissensus parentum; Qu. An parentes allegantes paupertatem viri, qui filiam sibi dari petit, justam dissensus causam habeant? §. XLII.
Porro repetitio dotis; hinc quaestio: An uxor locuples dotem constante matrimonio, repetere à marito paupere possit? §. XLIII.
Imprimis dolus; undè quaeritur: An maritus pauper, propter dotem promissam, & non solutam, uxorem domô expellere possit? §. XLIV.
Conclusio. §. XLV.

§. I.

§. I.



Quod in omni, praesertim Juris dissertione conscribenda, solenne est, ut potior rerum, verborum prior habeatur ratio, *l. 1 pr ff. de J. & J.* cum ab his, eò faciliùs ad ipsarum rerum cognitionem provehatur, illud neutiquam in hac dissertatione omittendum putamus. Quare de conjugio maris pauperis, & foeminae locupletis nos acturi, primò locò enucleabimus vocem pauperis, cujus etymologiam Varro. *Lib. 4. de Lingva Lat.* à paulo lare deducit, quasi pauperi, res angusta domi, ad emergendum, obstaculo esse queat.

§ II.

Etymologiam insequitur homonymia, certissima errorum genetrix *l. 4 ff. de Publ. Jud. l. un. C Quand. act. civil. crim. praejud.* Accipitur vero pauper, vel grammaticè pro eo, qui nec necessariarum rerum supellectile destituitur, nec superfluarum cumulò abundat; sed qui divitem inter & egenum, inedium locum occupat, quorum ille dividendi facultate, aliumque adjuvandi potentiâ gaudet, hic quasi sine gente & sine genere, alienâ ope opus habet. Vid. Fabri *Thesaur. Ling. Lat. sub vocab pauper. pag. m. 1745.* Quemadmodum hunc à paupere differre ostendit Martialis *Lib. 11. Epigram. 33.* quod ita concludit: *Non est paupertas, Nestor, habere nihil.* Deinde sumitur abusivè pro avaro, hic enim ob auri aviditatem, nunquam siti opum expletur, sed quò plus habet, eò plus desiderat; hinc ubi insatiabilis auri cupiditas, cynosura divitiarum & paupertatis statuitur, divitiae nonnunquam paupertas dicuntur. Quam in rem eleganter illud sonat: *Quis vere pauper? avarus. Semper avarus eget.* Horat *1. Epist 2.* Juridicè pauperis appellatione continetur is, qui in reatu vel incarceratus est. Calvin. *Lex. Jur. sub voce pauper. p. m 682. b* Hùc primus significatus maximè quidem quadrare videtur, rectius tamen in sensu communi, pro eo, qui rerum pretiosarum indigentiam patitur, hôc locò accipitur.

§. III.

Secundò locò evolutionem meretur vocula locupletis, ne ambiguò nominis sonò decipiantur incauti. Cujus compositione inspe-

ctâ, locuples, quasi locis plenus, possessionumque plurimarum possessor audit, uti ex Tullii *Lib. 2. de Republ.* docet Isid. *Lib. 10. Etymolog.* & A. Gell. *Noct. Attic. lib. 10. cap. 5.* comprobat. Sumitur autem & pro pecunioso, nam veterum divitiae in agris pecoribusque positae erant. Isid. *Lib. 10. Etymol.* undè Ovidius. *5. Fastorum vers. 279. Caetera luxuriae nondum instrumenta vigebant; Aut pecus, aut latam dives habebat humum. Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.* In jure sumitur etiam pro eo, qui solvendo est, *l. 57. ff. de manumiss. testam.* vel qui firmus, certusque ad rem quamlibet est, quô sensu locupletem autorem, locupletem testem, locupletem tabellarium, lòcupletem sidejussorem, dicimus. Vid. Calvin. *Lex. Jur. sub voc. locuples p. m. 542.* Quod & Nonius Marcell. *cap 6. de Ling. lat.* Ciceronis autoritate tuetur: *Locupletes*, inquiens, *non magnarum opum tantummodo, sed & ad quamlibet rem firmos, & certos M. Tull. dici voluit.* Nos foeminam locupletem & pecuniosam pro synonymis accipimus, eamque describimus, quae praetiosarum abundantiâ, ad commodè feliciterque vivendum, gaudet.

§. IV.

Tertiô locô explicandum venit Conjugium; Hoc à jugo, quod matrimonio conjungendis imponitur, deducimus, & unius quasi jugi consortium esse dicimus. Per conjugium enim mas & foemina, communi quasi jure copulantur, ac pari jure constringuntur, ad per ferendas res, non minus adversas, quam secundas. Festus. *Lib. 9. Orig.* conf. Beati Dn. Lic. Schwennern *Dissert. de Matrim. Senum. Regiom. an. 1703. habita.*

§. V.

Aliô nomine dicitur etiam *matrimonium*, à vocabulo matris petitum, quia foemina ob id potissimum nubere debet, ut mater fiat, teste A Gellio *Noct. Attic. Lib 18. c. 6.* Etiam nomine *nuptiarum* venit conjugium, à veteri ritu ita appellatum, quia sponsa olim in domum sponsi ducenda, in signum verecundiae subjectionisque, velamine quodam lutei coloris obnubebatur. Forster. *de Nupt. c. 2.* Beust *de matrim. c. 1.* Germani ab antiqua voce Ee quâ lex significabatur, conjugium denominant Ehe/ quandoquidem conjugium arctissimam continet legem, quâ personae conjungendae, ob primam desponsationis

fationis fidem, ad concordiam obligantur. Becman. *Medit. Polit. c.7. §. 2.* Quamvis autem à nonnullis Doctoribus haec nomina, ut antecedentia & consequentia differre dicantur, Wesenb. *in Par. de ritu nupt.* nos tamen, ex communi loquendi usu, conjugium, matrimonium & nuptias nomine tantum, non re, inter se differre, cum Doctoribus non exiguae autoritatis autumamus, hincque pro synonymis accipimus. Consent. Forster. *de Nupt. cap. 3.* Beust. *de Matrim. cap. 1.*

§. VI.

Explicatis itaque rubri vocibus, ad ipsam rerum cognitionem pergimus, ibique realem conjugii nostri definitionem sequentem tradimus: *Est legitima maris pauperis, & foeminae locupletis conjunctio, arctissimam vitae consuetudinem, juriumque communicationem continens.* Tuemur hanc nostram definitionem, partim autoritate Imperatoris Justiniani, *§. 1. Inst. de Patr. pot.* partim JCti Modestini *l. 1. ff. de rit. nupt.* quorum datas definitiones, in hac nostra ideo conjunximus, quia sensu conveniunt, & una alteram explicat, docente ita Illustr. Dno. Thomas. in *Dissert. de Usu Pract. tit. Instit. de patr. pot. cap. 1. §. 54 in not. lit. x.* Non immoramur definitionis à nobis traditae explicationi, ob id, quia tùm in innumeris JCtorum voluminibus satis enucleata, & approbata, tùm prolixâ enodatione paginae praeter necessitatem cumularentur; sed saltem in iis, quae ad rem spectant, sumus occupati.

§. VII.

Pertinet huc, ut dicamus, nos non agere de conjugio inaequali, sed aequali: quamvis enim personae contrahentes conjugium, impares ratione facultatum reperiantur, ratione tamen legitimi matrimonii initi, aequales existunt. Nam foemina locuples à mare paupere, plenô jure, in justam uxorem accipitur, undè ab ipso sorum, honorem, familiam, ac domicilium nanciscitur, *l. 13. C. de dignit.* junctâ *l. 65. ff. de judic.* Hisque juribus etiam solutô matrimoniô, tam diu fruitur, donec vidua alii nubat, ubi amissâ dignitate prioris mariti, futuri conditionem consequitur *d. l. 13. C. eod.* indè uxores radiis mariti corruscare dicuntur in *Nov. 105. c. 2.*

§. VIII.

Quamobrem conjugium noſtrum quam longè differt à *concubinatu*, in hoc quippè hujusmodi arctiſſima vitae conſvetudo non eſt, cum praeter voluptatis communicationem, nihil fermè praeſtetur, & uni parti, invitâ etiam alterâ, recedere licitum ſit, *l 1. pr. ff. de concub.* vid. Dn. Huber. in *Digreſſ lib. 2. c. 11.* conf. Dn Thomaſ. *laudata diſp cap 1. §. 54 In not. lit w.* Sumpſit tamen concubinatus per leges ſuam denominationem, teſte Marcello *l. 3. in fin. ff. de concub.* non quod verè legitimus habeatur, ſed quod extra poenam legis ſit conſtitutus, & juri non contrarius. Vid. Gabriel. Palaeot. *de notbis ſpuriùque filiis. c. 11. in fin* Huncque de Jure Rom. ad majora mala vitanda permiſſum eſſe ex *l. 5. C. ad SCt. Orfit.* & *t. t. ff.* itemque *C. de concub.* conſtat, Jure vero Canon. interdictum eſſe patet ex *c. 4. & 5. diſt. 34. c 6. & 12. cauſ 32. qv. 2.* it. *c. 11. cauſ. 33. qv 4.* ſicut & docet Magnificus & Spectabilis Dominus Praeſes, Patronus meus & Promotor ſummoperè colendus, in *Diſput. ad Inſt. 1. th. 35.* Moribus tamen hodiernis, inter privatos, penitus ab uſu receſſiſſe, exemplorum defectus, & ſtatutorum prohibitio demonſtrant.

§. IX.

Differt etiam à *matrimonio ad morganaticam* contracto. Hoc enim vir Illuſtris cum foemina ſequioris conditionis, eâ lege contrahit, ut ipſa & liberi naſcendi, & dignitate & hereditate, tùm mariti tùm patris abſtineant, acceptô interim donô nuptiali, vel certâ bonorum portione aſſignatâ, contenti vivant, vid Dn. Stryck *Exam. Jur. feud. c. 7. qv. 3.* Hujusmodi foeminis haud abſimiles fuiſſe apud Hebraeos concubinas germ. Kebs-Weiber ex ſacro Codice *Gen. 25. v. 5. & 6.* & ex Grotii mente *de Jur. B. & P. lib 2. c. 7. §. 8. in fin* aſſerit Magnificus ac Spectabilis Dominus Praeſes in *Diſp. Feud. 2. th. 17 Regiom. an. 1716. hab.* Quanquam vero matrimonium ad morganaticam, ſit verum conjugium, teſte iterum Magnifico Dno. Praeſide in *laudata Diſp. th. 16.* quoniam tamen contra juris communis regulam, ſecundum quam uxor quodammodo domina rerum domeſticarum efficitur *l. 1. ff. de act rer. amotar.* eſt initum, propterea à noſtro legitimo conjugio rectè differt.

§. X.

§. X.

His tanquam generalibus praemiſſis, videamus quid juſtum ſit circa conjugium maris pauperis,& foeminae locupletis. Ibi ergo ſe ſiſtit quaeſtio palmaria & quaſi praejudicialis: *Utrum in ducenda uxore ad divitias ſit reſpiciendum?* Reperiuntur autem argumenta & rationes quae in utramque contradictionis partem facere poſſunt, & ante quaeſtionis hujus deciſionem,praemitti debent. Argumenta Negantium hanc quaeſtionem, potiora haec ſunt. *Imum:* Quia conſideratio divitiarum virtuti ſoepè damnoſa exiſtit: Ubi dos in uſu eſt, inquiunt, de ea prima, de moribus ultima quaeſtio eſſe ſolet, dum dos eſt, nullum vitium vitio vertitur. Siquidem non Logicorum more interrogare ſolent, *quae, qualis, quanta?* ſed ſolâ quaeſtione poſtrema contenti, *quanta?* ut habet Dn. Carpz. in *Jpr. Eccl. Lib. 2. def. 55. n. 9.* *IIdum:* Quia foeminae proprium eſt ſuperbia, & accedente dote creſcit animus imperandi, juxta illud Juven. *Satyr. 6. Intolerabilius nihil eſt, quam foemina dives.* Undè *IIItium* eorum fluit argumentum: Quod maritus, libertate venditâ, in ſervitute indigniſſima vivere cogatur, ut cum illo apud *Comic. 1. Aſin. 5.* conqueri neceſſe habeat: *Argentum accepi, dote imperium vendidi*, quorſum verba Senecae *6. Declam. lib. 2. Omnes uxores divites, ſervitutem exigunt, crede mihi, volent regnare in ſuis divitiis.* Quod & intellexiſſe dicunt Martialem *lib 8. epigram. 12.* ita reſpondentem: *Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quaeritis? uxori nubere nolo meae.* Hinc *IVtum arg.* quia uxor benè nummata marito paupertatem objiciendo, eum ludibrio habere ſolet; quod eſt, quare non pauci ex ejusmodi conjugio, pro adjutorio triſtitiam, & moerorem reportent, teſte Megadra *apud Plaut.* ita loquente: *Dotatae mactant & malo & damno viros.* *Vtum:* à Conſenſu gentium petitum, quia apud Ægyptios, Indos, Athenienſes, Spartanos, Hetruſcos, Maſſilienſes, Cantabros, Turcas, & alios, foeminarum dotes, vel ſublatae fuerunt, vel certô modô definitae. *VItum:* Quia divitiae ſunt vilia bona, & ad lubricum fortunae ſtatum vacillantia, ac reſpectu virtutum, morumque nihil aeſtimanda, *§. fin. Inſt. de ſuſp. tutor. l 17. ff. de adopt.* *VIImum:* Quia pudicitia eſt vera puellae dos, eaque ad nuptias relata, non ſemper in pecunia conſiſtit; nam ſiqua rectè morata,

ſatis

ſatis dotata, ſi qua manſveta, ſatis nummata, omni quippe lucro concordia praeferenda, arg. *l. 5. C. de inſtit & ſubſtit* Undè jam *VIIIvum arg.* Quod humilis, exiguò apparatu, ſit ducenda, ne pro conjuge, dominam in domum accerſat maritus.

§. XI.

Argumenta Affirmantium, inter alia ſequentia proferri poſſunt. *Primum:* Quia divitiae multum proſunt: eſt enim divitiarum vis & efficacia non exigua, & praeterea tanta in muneribus ſpes, quanta poteſtas, iis quippe divina ſimul & humana parere, uſus & experientia teſtantur, imo omnia per pecuniam fieri, ſine auro nihil fieri, in propatulo eſt. *Secundum:* Quia pecuniae conſervant honorem. Honor enim niſi ſuſtentetur divitiis, eſt res caduca, & divitiis diminutis, diminuitur honor: pauperes namque parum honorantur, parum timentur, at per divitias, & praerogativa domus, & decus, honosque in familiis conſervatur. Unde Ovid. *lib. 1. Faſtor. Dat cenſus honores, cenſus amicitias: pauper ubique jacet. Tertium:* Quia virtus ſine pecunia nihil valet. Equidem melius eſt philoſophari, quam ditari, indigentibus tamen, melius eſt ditari, quam philoſophari, teſte Philoſophò *3. Topicorum*, & *10 Ethic.* Undè non incongruè paupertatem liberalibus diſciplinis novercam eſſe dicunt; Siquidem *infelix paupertas*, teſte Juvenal. *Satyr. 3. nihil in ſe habet durius, quam quod ridiculos homines facit; Nec facile emergunt, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi. Quartum:* Quia divitiæ omni humanæ neceſſitati inſerviunt; Sicut enim ſine neceſſariis impoſſibile eſt vivere, ita nihil ferme eſt, quod per divitias comparari nequeat, undè bona temporalia, vita & viſcera hominis dicuntur, & is, qui ea auffert, ipſam vitam aufferre dicitur: paria namque ſunt, perdere dominium & perdere vitam. *Quintum:* Quia dos ad ſuſtinenda matrimonii onera conſtituitur, *l. 7. pr. l. 76 ff. de Jur Dot.* Siquidem admodum difficile foret marito, non minus alere uxorem, quam reliqua matrimonii onera benè multa & gravia perferre, ſi nec mulier dotem ſecum afferret, nec ejus facultatibus ſublevaretur. *Sextum:* Quia indotata mulier ut plurimum à marito contemni ſolet. Quid ergo mirum? ſi hodie uxorem ducere volentes, ante nuptias, nonſolum quantitatem dotis ſcire velint, ſed

&

Digitized by Google

& mulieri acclament quasi? Porta tecum, si vis vivere mecum, non enim volunt carnem sine sapore. Unde uxorem indotatam ducere, quod sit verecundia, miseria, immo extrema dementia, à nonnullis perhibetur. *Septimum*: Quia pauper maritus, aliô modô, uxoris divitias compensare & resarcire potest. Nam & dignitas mariti, & prudentia, & opera, aliaque similis causa, ad aequandas uxoris opes, facere possunt. Vid. Nevizan. in *Sylva nupt. lib. 4. n. 111. seqq.*

§. XII.

Sunt haec argumenta, quae & pro affirmativa, & pro negativa militant sententia, nos tamen propositam quaestionem *supr. §. X.* nec simpliciter negandam, nec affirmandam esse putamus, sed ita ad eam respondendum: *Non postremam quidem divitiarum, potiorem tamen morum habendam esse rationem.* Considerandos autem potissimum esse mores, in ducenda uxore, nemo facilè negabit: Etenim si amicus non est eligendus, priusquam modium salis cum eo absumpseris, multo minus uxor, cujus mores haud noveris, quia amicum, cujus te societas capit, cum gratia ejurare licet, uxorem, quam in thori sociam nactus es, non licet. Ut vero haec consideratio morum, eò felicius tibi contingat, non in solius ducendae foeminae mores inquiras, sed parentes imprimis & patriam perveltiges. *Uxorem cognitam ducas, cujus Parentes & matrem praecipuè, bonis moribus praestantem, noveris*, scribit *Libanius ad Solonicum.* Cujus rationem in experientia quoque fundatam habes, nam ut plurimum non solum labem sanguinis, sed & morum, ad posteros derivatam vides, arg. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* Satis vero cognitos habere potes parentes, si antequam eorum ad nuptias consensum desideras, sœpius cum iis conversandi occasiones quaesiveris. Undè non sine urgente causa, in incundo conjugio, jura praeter contrahentium consensum, etiam Parentum requisivêre, tùm Jus civile Romanum *l. 2. ff de rit. nupt.* tùm Jus Canonicum *c. 1. 3. 4. caus. 30. qu. 5.* idque non solum de honestate, sed & necessitate, docente Magnificô Duo Praeside, Patrono meo maximo, in *Disput. ad Inst. 1. th. 40.*

§. XIII.

Non postremam autem pecuniarum, in ducenda uxore, haben-

dam esse rationem, non tantum ex argumentis pro affirmmativa §. XI. allatis, luculenter apparet, sed & regulis prudentiae consentaneum est. Nam si qua sit non solum moribus exculta, verum etiam opibus instructa, quis non duplicatum bonum, bono simplici praeferret? & quis tunc negaret illud, quod Germani in proverbio dicunt? Geld schadet der Liebe nicht. Ex quâ consideratione Principes suo tempore, moratiorum gentium, Romani, patri dotis constitutionem filiae, ita injunxêre, *l. fin. C. de dot. promis.* ut licet ipsa filia vel maximè propria bona habeat, tamen ad eam extraordinariâ actione compelli possit, *l. 19. ff. de ritu nupt.* Imo in genere requirit officium paternum, filiabus benè prospicere, & curare, ut optimam nubendi conditionem accipiant, quam mediante dote facilius impetrabunt. Gail. *Lib. 2. Obs. 95 n. 14.* Undè notanter Augustissimus Legislator Borussorum ait: Es ist der natürlichen Billigkeit und den Rechten gemäß / stehet auch der Eltern Ambt zu / daß sie ihren Kindern zu rechter und bequemer Zeit nach guten Heyrathen trachten / und sie auch zugleich mit ehrlichem Heyrath-Gut versehen / *LR. Lib. 4. t. 15. a. 1. §. 1.* Et ex eadem aequitatis ratione, quamvis juxta Leges Romanorum, donatio propter nuptias, doti semper debeat aequalis constitui, noster tamen Augustissimus, id praecisè non requirit. Es wäre dann / daß der Ehemann also unvermöglich / daß ers nicht thun könte; &c. In dem Fall kan es mit der Gegen-Vermachung so genau nicht gehalten werden. *LR. l. c. §. ult.*

§. XIV.

Ne ergo ea, quae pro negativa *supra §. X.* allata, nobis obstare videantur, ad singula, brevissimis tamen, respondebimus. *Ad Imum*, quod nimia dos virtuti sit noxia, regerimus, quod quidem virtus omninò praestet divitiis, non tamen sequatur, omnem propterea divitiarum abjiciendam esse curam, sed moderatae uxoris facultates spectari possunt, debentque: Magis quippè pecunia prodest conjugali amori, quam obest, juxta notatum germanicum: Geld schadet der Liebe nicht. *Ad IIdum*, ubi foeminae propria dicebatur superbia, quam dos accedens adaugeat, facilis responsio, nam si qua adhuc in uxore reperiatur, illa, per prudentiam, quae praesup-

ponitur

ponitur in marito, corrigi, ac temperari potest, undè in perpetiendis uxoris moribus, exercitium potestatis maritalis consistit. Omnes vero opulentas statim imperium affectare, contra quotidianam experientiam est. *Ad IIItium* respondemus, negando. Non enim mariti servitus, & uxoria dos, individuo semper nexu, sunt conjuncta, praesertim tunc, quando maritus, tantâ pollet vel autoritate, vel dignitate, ut uxor magis gloriae, quam dedecori sibi ducat, maritale imperium venerari, imo teste experientiâ, mulieres dotatae, quandoque multo commodiores sunt, quam dote cassae. *IVtum*, quod locuples foemina contemnat pauperem maritum, generaliter verum non est, plerumque enim pauper, operâ suâ supplet, quicquid per comparationem patrimonii sui ipsi deest; Alias ingenuè fatemur, melius esse, unam panis buccellam, in gaudio habere, quam totam domum plenam victimis, cum jurgio. Non *Vtum* à consensu tot gentium petitum, nostram infringit sententiam, siquidem solos Romanos, vice duodecim aliarum gentium habemus. Hi vero dotatas esse foeminas, non tantùm aequum, sed & maximè è Republica esse crediderunt, quos & Germani imitati, nam quanquam apud priscos Germanos, dotem, non uxor marito, sed maritus uxori offerret, Tacit. *de morib. Germ. c. 18.* & differentia à Romana dote, quam uxor marito facit, in eo deprehenderetur, quod haec, ad matrimonii onera perferrenda, illa, ad uxorem post mortem mariti alendam, detur, posteaquam autem Jus Rom. autoritatem suam in Germania quoque obtinuit, mores Romanorum, hoc in passu quoque, recepti sunt. Vid. Ill Dn. Stryck. *U. M. Pand. Lib. 23. tit. 3. §. 1* Nec *VItum* firmô stat fundamentô, quasi vilitas vanitasque divitiarum, earum contemptum nobis generare debeant. Introductis enim rerum pretiis, nihil fermè aut fieri, aut acquiri sine pecunia, pro hac autem omne, quicquid inservit humanae necessitati, comparari potest. Hodie opus sunt opes, & sine his nihil fiet, quod opus, ait in *Olynth. 2.* Demostenes. *VIImum* in tantum quidem valet, ut melius sit pudicam uxorem ducere sine dote, quam malè educatam divitem, cum tamen dos & pudicitia foeminae, non pugnent inter se, sed conjungi queant, nobis hoc argumentum non contrariatur. *VIII.* admodum lubricô innititur fundamentô: Nam foeminae paupertinae & humilioris sortis, non semper suavio-

res & obsequentiores sunt, sed potius superbiores, quid? quod intolerabiliores, quam nummis onustae. *Quam multas videmus*, inquid Arnisaeus, *ex humili casa prodire mulieres, tantò superbiores iis, quae inter purpuras jacuerunt, quantò regiis aedificiis casa contemtior est, & abjectior. Nequeunt quippè secundam fortunam moderatae ferre, quae adversae tantum assuetae fuerunt, de Jure Connub. c. 3. sect. 8. n. 26. 27.*

§. XV.

Quemadmodum in hoc conjugio arctissima debet esse vitae consuetudo, ita & firmissima amicitia. Consistit vero amicitia potissimum in aequalitate, advertente id jam Platone, qui ait: *Quod simile est, firmam servat amicitiam*, nosque in vernacula dicimus: Gleich und gleich gesellt sich gern. Et Ovidius *Lib. Heroid. Epist. 9.* hanc generalem regulam proponit: *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Qua ratione ergo, in conjugio maris pauperis, & foeminae locupletis, aequalitas erit spectanda? Et putamus non per omnia, sed secundum quid, esse eam attendendam, nempè ut, praesuppositâ morum aequalitate, tanquam amicitiarum nutrice, & voluntatum unitate, *nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est*, teste Salust. in *Bell. Catilin. §. 20.* in reliquis aequalitas non ita strictè requiratur; sed mariti vel conditionis decus, vel animi aut corporis dotes, uxoris divitias compensare possint.

§. XVI.

Haec geometrica aequalitas videtur observata, *in conjugio viri pauperis, at genere nobilis, & foeminae locupletis, sequioris tamen conditionis.* Cum enim foeminae ex se nullam dignitatem habeant, sed omne earum decus, à maritis dependeat, sic ut filiae Senatorum, tenore Legum Romanarum, non aliter illustratûs honorem retineant, quam si Senatoribus quoque nupserint, per *leg. 8. ff. de Senat.* Libertae vero Senatorum dignitatem, per matrimonium, ex aequitatis ratione, consequantur. Audiamus Imper. Justinianum *Nos*, inquit, *Dei sequentes judicium, non patimur, in uno eodemque connubio, mariti felicitatem uxori fieri infortunium*, & paulo post, *absit à nostro tempore ejusmodi asperitas, sed uxor marito concrescat, & sentiat ejus fulgorem. l. 28. C. de nupt. Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus*, ajunt Impp. Valentinian., Theodos. & Arcadius

in.

in *l. 13. C. de dignit.* Quid ergo vetat, quo minus inter nobilem pauperem, & foeminam locupletem, aequale matrimonium contrahatur, imprimis cum, teste experientiâ, nonsolum familiae propter paupertatem sordescant, verum etiam nobilitas, sine divitiis mortua dicatur, at per divitias crescat, floreatque. Hinc ipsa prudentia suadet, ut viri nobiles pauperes tamen, quaerant uxores locupletiores, per justum matrimonium.

§. XVII.

Aequalitas haec etiam observata *in conjugio viri pauperis, quem tamen virtus nobilitat, at eruditio ornat, & foeminae locupletis.* Nam vir sapiens & eruditus, ingenii sui facultatibus, uxorias auri facultates, ubertim compensare potest. Eruditio quippe non tantum exaequat divitias, sed & potentiâ suâ multas includit opes, quas, ingenii dotibus, vir prudens & literator comparare potis est. Et si dicendum quod res est, foemina quæ sic divitias suas foenori locare potest, felix praedicanda. Undè Syracides, Parentem, filiam viri potentem habentem, notanter monet: Berathe deine Tochter / so hast du ein groß Werck gethan / und gieb sie einem vernünfftigen Mann *cap. 7. v. 27.* Quodsi enim Parentes, in elocandis filiis, praeferre velint viris prudentibus, pecuniosos & fatuos, disvadet hoc eis distichon, quod, in Justinam nobilem Romanam Virginem, compositum, Romae extat: *Discite ab exemplo Justinae, discite patres, ne nubat fatuo filia vestra viro.* Quare consultius erit filiabus imprimere, ut semper recordentur illud Themistoclis: *Malo virum indigentem pecuniâ, quam pecuniam viro. Cic. Lib. 2. de Offic.* Nam pensitetis quaeso! quam soepe viri docti & prudentes, quamvis ante ipsi divitias habuerint; attamen ut solidam sibi pararent eruditionem, nullis sumptibus parcentes, de divitibus pauperes facti sint, arg. *Auth. Habita C. Ne fil. pro patre*, nonnunquam spe recuperandi omnia, per pecuniosam thori sociam; unde etiam proverbium germanicum natum: Eine reiche Braut bringt alles wieder. Nonne ergo in hoc conjugio aequalitatem admodum observatam esse dicendum erit?

§. XVIII.

Et tunc in conjugio aequalitas adest, *si foemina locuples, deformis*

mis tamen pauperem quempiam formosum sibi desponderit, ubi divitiae rum forma compensari debent. Novimus enim pulcriora semper esse gratiora omnibus, & amorem nihil aliud esse, quam desiderium pulcri, in conjugiis vero ab omnibus requiritur amor. Hinc quid obstat, quo minus foemina locuples virum, quem integritas membrorum, formaeque decus commendant, maritum sibi eligat? Nam, si conjecturis uti licet, verisimile est, naturam ita formare membra, ut animae moribus conveniant, teste Gallen. *2 de tempor. 6.* Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, in tantum, ut ex vultu hominis, ac decore membrorum, colligi queat, quantus coelestis spiritus intraverit habitator; quorsum respiciens Virgil *Aeneid. 5.* canit: *Gratior est pulcro veniens è corpore virtus.* Si itaque species corporis est mentis simulacrum, & figura probitatis, nonne foemina, quae pro divitiis bene moratum virum accersit, se nusquam gentium ditiorem potuisse invenire, fatebitur?

§. XIX.

Aequalitas etiam est observata, *inter maritum pauperem, qui interim honestam quandam artem callet, vel negotiandi professionem didicit, & uxorem locupletem*, quia maritus, arte vel operâ suâ, uxoris divitias compensare potest. Nam in Legibus Romanorum quis in futurum acquirere & ditari praesumitur, *l. 4. §. 1. ff. de muner. & honor.* & operâ suâ quis tantum acquirere, quantum per comparationem patrimonii ei deest, perhibetur, *l. 5. §. 11. ff. pro soc.* Nec societas ubi unus sociorum pecuniam, alter operam confert, quicquam iniquitatis in se continet, quia opera pro pecunia valet, *l. 6. ff. pro soc.* juncta *l. 52. §. 2. eod.* Quod perpendens Frantzkius, *Pretium*, inquit, *sive aestimatio operae artisque, dicitur velamentum seu vestimentum societatis, ex parte ejus, qui artem operamque confert aequamentum, quod par referat ei, qui rem vel pecuniam pro se contulerit, in Comment. ad ff. tit. pro socio n. 81.* Itaque nec iniquum erit nubere viro, qui per pecunias uxorias, novit adquirere pecunias, hinc & loco dotis, in plerisque locis hodie inter conjuges, societas videtur successisse. Meier. in *Colleg. Argentor. ad tit. ff. pro socio §. 5.* in qua mariti manus multò liberiores, quam cujusque alterius socii sunt, ne scilicet si adversus alterum conjugem, ratione re-

rerum consumtarum, tam rigorosè quaestio moveatur, lites in infinitum exorescant, & matrimonii honos conculcetur. Stryck. *U. M. ff. Lib. 23. t. 5. §. 4. in fin.*

§. XX.

Non haec geometrica aequalitas videtur observata *in conjugio juvenis pauperis, & vetulae locupletis*. Hic aetas juvenilis & vetulae opes, alterutrius aequamentum esse non possunt, sed morum inaequalitas, in morosa canitie, & voluptuosa juventute, manet, ne dicam, quod honestas publica, quae in conjugio omninò attendenda, *l. 42. ff. de rit. nupt.* laedatur. Nam robustus juvenis, in sinu vetulae pinguescens, nec robur civitatis adauget, nec ex affectione conjugali, vetulam thori sociam, sibi eligit, sed plerumque lucri causâ, ex qua tamen mistissimi solent sequi eventus. Stryck. *U. M. ff. L. 23. t. 2. §. 3.* Non ergo mirum, quare ejusmodi conjugia non longius quieta, quam usque spes lucri avarum continet animum, quandoquidem aut vir contra divina pariter ac humana jura, vetulae imperio subesse, aut senex uxor, contra naturae quasi ordinem, exhibere reverentiam juveni marito, quem filium multò rectius, quàm maritum nominare debeat, cogitur.

§. XXI.

Non ita longè à geometrica aequalitate recedit, *conjugium inter senem pauperem, & juvenculam locupletem*, quia adjutorium, quô vir hujusmodi indiget, nemo melius, quam uxor praestabit, & ea, quae ad mariti corpus spectant, omnium optimè ministrabit. Quare hujusmodi conjugium nullibi in jure divino interdictum, neque in jure civili impeditum, per *l. 27. C. de nupt.* legimus. Huc facit, quod sexagenarius regulariter, ad sobolis procreationem, non sit impotens, neque ad mutuum adjutorium inidoneus. Exempla huc spectantia collegit quam plurima Dn. Carpz. in *Ipr. Eccl. lib. 2. def. 13. n. 21. 22.* inter ea etiam Ciceronis, qui sexagenarius Publiam virginem uxorem duxit, & is cum à quopiam objurgaretur, quod puellam thori sociam elegerit, facetè respondit: *Cras mulier erit.* Vid. Beati Dn. Schwennern *all. disp. de matrim. senum. §. 17.*

§. XXII.

Sed quid dicendum, *si uterque conjugum tenerae adhuc aetatis fue-*

fuerit, an tunc aequalitas inter pauperem adolescentem, & locupletem foemellam satis observata? Videtur quidem quod sic, quia in juventute optimè matrimonia contrahuntur; verum in hoc conjugio aequalitas jacturam facere videtur. Nam praeter generandi facultatem, etiam prudentia regendi familiam, & administrandi rem domesticam hodie requiritur, teste Dno Hoppio in *Comment. ad Inst. tit. de nupt. in pr.* quae rarò in mare, qui annos pubertatis modo adeptus, reperitur, quare minus prudenter inter ephebum, & puellulam matrimonium contrahi putamus, imo illud à Magistratu prohiberi, à patre per dissensum impediri posse, existimat Dn. Stryck in *U. M. ff. Lib. 23. t. 2. §. 2.* ob rationem, quia interest, ne ex festinatis nuptiis, egestas in Rempublicam introducatur. Aliud tamen dicendum, si adolescens aptus fuerit, ad instituendam rem domesticam, quia magis ad prudentiam, quam annos respicitur.

§. XXIII.

Idem videtur dicendum *de conjugio mariti prodigi, cum foemina locuplete*, nam tunc etiam constante matrimonio mulier locuples à marito paupere & prodigo, dotem repetere potest, per *l. 29. & 30. C. de Jur. dot.* cujus ratio haec datur, quia mare ad inopiam redacto, mulier necesse habet egere. Quod tamen ita simpliciter accipiendum non est, sed attendendum, utrum foemina prudens & intelligens, cum viro prodigaliter sumptuoso, nuptias iniverit, tunc quippè mores mariti adprobasse censetur, & saltem propter inopinatam mariti prodigalitatem, non propter praevisam, mulieri succurritur. *l. 26. §. 2. ff. mand. l. 41. §. 3. de Jur. Dot.* conf. Gail. 2 *Obs. 83. & 84.*

§. XXIV.

Pergimus *ad Effectus* conjugii inter pauperem marem, & locupletem foeminam. Huc potissimum jus, quod maritus pauper in uxorem locupletem nanciscitur, referendum esse censemus, quod in hac dissertatione non tam ex jure naturali, quam civili Romano, & potissimum Prutenico, deducendum est. Definimus illud, quod sit *jus legitimum marito pauperi competens, in personam & bona uxoris locupletis, ad communem tam societatis conjugalis, quam rei domesticae utilitatem.* Qui hujus definitionis explicationem desiderat, eum remittimus ad Dn. Stryck. *U. M. ff. l. 23. t. 2. §. 36. seqq.* Hoc saltem

Digitized by Google

tem notamus, quod ſimus examinaturi jus, quod competit marito pauperi, (1) in perſonam, & indè deſcendentes operas uxoris locupletis, (2) in bona ejus.

§. XXV.

In *perſonam* uxoris locupletis, quin marito pauperi competat poteſtas, non dubitamus aſſerere, ſiquidem legitimô matrimoniô initô, quisquis maritus, conſequenter & tenuis ac pauper, huic poteſtati exercendae, idoneus habetur, cum jura indiſtinctè marito hanc poteſtatem tribuant. Nam in Jure Divino omnis maritus Dominus, & caput uxoris appellatur, Gen. *3. v. 16.* Paul. *in Epiſt. ad Epheſ. 5. v. 22.* & *23.* in Jure Canonico itidem caput audit, *c. 15. cauſ. 33. qu. 5.* & mulier dominio viri ſubjecta, nullamque autoritatem habere dicitur, *can. 17. ibid.* in Jure Civili princeps familiae nuncupatur, *l. 196. pr ff. de V. S.* cujus poteſtati uxor ſubjecta dicitur, *l. 195. §. 2. eod* quem & ipſa dominum ſuum appellat, *l. 57. ff. de don. int. Vir & Ux. l. 88. §. 2. de legat. 2.* Cum Jure Naturali haec poteſtas, ob ſexus virilis praeſtantiam, non pugnat, Grot. *de Jure B. & P. Lib. 2. cap. 5. §. 8. n. 1.* ex hoc enim Jure, ſicut maritus, ad protectionem, ita viciſſim uxor, ad obſervantiam obligatur, Dn. Puffend. *de J. N. & G. Lib. 6. c. 1. § 11.* & tunc vera aequalitas inter conjuges dicitur adeſſe, teſte Martial. *lib. 8. epigr 12. Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito: Non aliter fuerint, foemina, virque pares.*

§. XXVI.

Hoc jus maritale tamen ita intelligendum eſt, ut uxori locupleti omnia ſua jura ſalva maneant, nam quanquam poteſtati pauperis mariti ſit ſubjecta, non tamen ut ancilla, aut filia eſt tractanda, quae perſonae alieni juris eſſe dicuntur, uxor vero manet ſui juris; ſed prudentiâ & humanitate, nec non benevolentiâ eſt regenda, ne amor conjugalis conculcetur, ſed potius conſervetur. Dicuntur ideo in ſacris literis conjuges, una caro, & duo habitantes in carne una, *Gen. 2. v. 24.* Equidem ex imperio maritali, fluit jus moderatè caſtigandi uxorem, etiam locupletem, *l. 24. §. 5. ff. ſol. matr.* Prudentia tamen ſvadet, ne à verbis ad verbera progreſſus fiat, his enim durioribus remediis, nec mariti autoritas firmatur, nec animorum unio conſoli-

datur, sed potius tollitur, juxta proverbium germ. Schläge freunden nicht. Amore vero sublatô, praecipuum conjugii bonum tollitur. Stryck *U. M. ff. Lib. 23. t. 2. §. 43.*

§. XXVII.

Quemadmodum autem maritali potestati limites à legibus praescripti, ita etiam uxori, quamvis locupleti, extra cancellos ire datum non est, sed subjectio debita aguoscenda est. Paul. *1. ad Corinth. 11. v. 3.* Petr. *1. Epist. c. 3. v. 1. L. 4. C. de crimin. expilat. haered. l. 14. §. 1. ff. solut. matrim. l. un. §. 7. C. de rei uxor. act.* Quodsi tamen uxor locuples, ut communiter fieri solet, mariti pauperis potestati aegrè sese submittere, sed in eum potius imperium sibi arrogare velit, non immeritò hôc locô quaeritur: *An uxori locupleti, à marito paupere, imperium per pacta concedi possit?* Et respondemus jus, quod maritus pauper in personam uxoris locupletis habet, nullô modô remitti posse, nam hoc pactum cum jure divino, & bonis moribus pugnat. per *l. 7. §. 16. l. 38. ff. de pact.* & Apostolus *1. ad Tim. 2. vers. 12.* ait. Einem Weibe gestatte ich nicht, daß sie des Mannes Herr sey. Indè hoc pactum irritum existit, nec illud servandum esse ampliant DDres, etiamsi juramentô confirmatum, vid. Müller. *Diss. de frigusculo c. 2. th. 6.* Jus vero castigandi uxorem locupletem per pacta posse remitti, non sine ratione existimat Dn. Stryck. in *U. M. ff. L. 23. §. 44.* Quia maritus, mediante hoc pactô, non omne statim imperium, quod in personam locupletis uxoris habet, à se abdicat, si enim regulis prudentiae conveniens, solâ humanitate & benevolentia regere uxorem, hôc modô vero tacitè renunciat juri suo, quidni & expresse illud facere possit?

§. XXVIII.

Sicut in personam uxoris locupletis, pauperi marito, legitima competit potestas, ita etiam per consequentiam, *in operas ejus*, sese extendit. Sunt autem operae aliae officiales, seu obsequiales, aliae artificiales. Ad *obsequialium* classem referimus eas, quas uxor locuples in personam, & commodum mariti pauperis praestat, descendentes ex obligatione, quae, partim tacitâ quâdam promissione exhibendi mutuum adjutorium, partim convenienti subjectione, inducitur.

citur. Hujusmodi operas esse dicit Dn. Stryck *l. c. §. 51. Adesse marito, eidem coenam parare, rem domesticam ejus curare, quae ad ejus personam pertinent, praestare, & procurare, sublevare maritum in rebus domesticis, & hujus generis alia.* Quas quidem juxta LL. Romanas praestare debet uxor *l. 31. ff. de donat. int. Vir. & Ux.* juncta *l. 11. § 1. C. de oper. lib. & l. 2. C. de obseq. patr.* in conjugio tamen maris pauperis, & foeminae locupletis, distingvendum esse putamus, an uxor sit nobilis, an ignobilis, illa dignitatem, quam aut à merito paupere consecuta, arg. *l. 6. C. de Profess. & Med.* aut ratione stemmatis nondum oblita, vilibus officiis inquinare vix tenetur, arg. *l. 16. §. 1. ff. l. 38. & l. 50. pr. ff. de oper. libert.* quanquam generaliter loquendo, nec dives & nobilis uxor absolvatur per omnia, ab operibus uxori propriis, quales, secundum quorundam locorum consuetudines, dicunt esse: nere, fila ducere, texere, lectum sternere, coquere, lavare, &c. Haec nempe ignobilis, si tamen conditionis honestioris fuerit, vel ad modò recensitas tenetur, vel ad eas, quas, tùm loci consuetudo, ubi maritus domicilium habet, ipsi injungit, tùm vitae genus mariti exigit, quia consentiens in conditionem mariti inopis, etiam in operas debitas consensisse censetur: si vero sit vilioris conditionis, etiam ad graviores operas tenetur, aequalitas enim quantum jura permittunt, in conjugio servanda est. arg. *l. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. l. fin. C. de indict. viduit.*

§. XXIX.

Ad classem *operarum artificialium* referimus eas, quae non principaliter ad conservationem familiae, sed ad quaestum spectant. Quales esse dicit Dn. Stryck *l. c. §. 51. Quae non personae mariti praestantur, nec ab uxore qua tali, sed potius quatenus extra ordinem aliquod artificium exercet, & ita in mariti personam non diriguntur, ut si uxor commercium aliquod exercet, frumentum emendo, vel vendendo, si nevrix vel lotrix sit:* adde si obstetrix, chirurga, &c. Per has operas quidem, quicquid acquirit uxor locuples, non sibi, sed marito acquirit, quia hujus auspiciis, res domesticae geruntur, si tamen sponte noluerit has subire operas, à marito paupere nullatenus cogi potest.

§. XXX.

In *bona* uxoris, quale jus marito pauperi competat, jam videamus. Sicut autem uxor locuples, à marito, jurium fit particeps, ita vicissim pauper maritus, de bonis uxoris participare debet. Hinc quaestio hîc nequit omitti: *An conjugium mariti pauperis, & foeminae locupletis inferat communionem bonorum?* Hanc caput, fundamentum, & judicem multarum aliarum quaestionum, cum Mevio *ad Jus Lub. Lib. 1. tit. 5. art. 5. n. 1.* appellamus, eamque, ex generalibus legitimi conjugii fundamentis, decidendam esse putamus. Naturae cujusque societatis conjugalis admodum quidem conveniens est, bonorum communio, siquidem in hac societate, arctissima adest vitae consvetudo, ac perpetuum consortium; Hinc per rerum communionem, etiam in conjugio pauperis mariti, & foeminae locupletis, animorum corporumque conjunctio, constantior fieret, mutuusque amor, & industria horum conjugum, spe communis lucri, promoveretur, ut & multa jurgia periculosa & indecora, ex discrimine mei & tui prodeuntia, praepedirentur, imò commercia tutiora praestarentur, cum creditores, hoc casu, mulierum divisum interventiones haud metuere cogantur, conf Mevius *ad Jus Lub. L. c. n. 9.* Quoniam tamen societas conjugalis, potissimum sobolis procreandae gratia initur, quae, absque omnium bonorum communione, obtineri potest, hinc ea per se, ex conjugio non fluit. Verum enim vero aliqualis bonorum communio, quae scilicet ad vitam degendam, & conservandam spectat, quam proinde honorariam appellat Strvius *in Syntagm. J.C. exc. 29. th. 56.* ut in omni, ita & in hoc conjugio exoritur. Quid ad hanc Quaest. de juribus, quae in foris obtinent, sit dicendum, examinabimus.

§. XXXI.

Ex jure civili Romano, praesertim recentiori, ejusmodi bonorum communio, per quam ipsa proprietas inter conjuges communicatur, deduci nequit, quae non aliter, nisi mediante contractu societatis inducitur. *l. 32. §. 24 ff. de donat. int. Vir. & Ux. l. 16. § 3. ff. de aliment. leg.* Nam uxor quidem marito acquirit, ut §. *XXIX.* audivimus, non vicissim maritus uxori, *l. 51. ff. de don. int. V. & U.* & quae illa, de suis bonis in maritum transtulit, regulariter revocare nequit. *l. 29. C. de*

de Jur. dot. Caeterum extra dotem, proprietatem bonorum suorum retinet. *l. 17. ff. ad SCt. Vellej. l. 38. ff. de contrab. empt.* ita, ut maritus pauper, praeter administrationem, ne quidem usum fructum sibi vindicare queat, arg. *l 8. C. de pact. convent. l. 9. §. 3. ff. de jur. dot.* in bonis receptitiis, neque administrationem habeat. Hinc de hoc jure certum est, uxorem locupletem, pro marito paupere, aes alienum solvere uon teneri *l. 2. C. ne Ux. pro mar.* Quae omnia cum natura communionis omnium bonorum pugnant.

§. XXXII.

De jure canonico, quod detur communio bonorum, non desunt, qui affirmant, ad verba, quae in *cap. 2. X. de donat. int. Vir. & Ux.* continentur, potissimum provocantes; verum cum ex *dict. cap.* nihil aliud inferri queat, quam, quod secundum particulares quorundam provinciarum consvetudines, bona constante matrimonio quaesita, inter conjuges divisa fuerint, negativa, ut communior, ita verior erit. Hahn. *ad Wesenb. t. pro soc. n. 3.* conf. Stryck *U. M. ff. L. 23. t. 2. § 94.*

§. XXXIII.

Ab his juribus diversi sunt plerorumque Europaeorum populorum mores, secundum quos communio bonorum, ut, ut non eodem modô, nec eôdem ubique gentium effectu, viget ac obtinet. Eorum prolixam designationem nobis exhibet Mevius, *ad Jus Lub. Lib. 1. t. 5. a. 5. n. 13.* mores tamen singulos examinare, nec instituti ratio, nec materiae substratae occasio permittunt, nostrum saltem erit videre, quid in foris Patriae, hac in re, obtineat. Reperimus autem in Jure Prutenico, communionem omnium bonorum, inter conjuges fundatam, *LR. Lib. 5. t. 12. a. 5.* eamque non tantum inter conjuges civici ordinis, sed & inter nobiles, non atten-

Digitized by Google

§. XXXIV.

Isthaec ergo de communione bonorum dispositio, regulariter semper valet, quando pactis nihil aliter cautum, & in conjugio maris pauperis, & foeminae locupletis, omnia bona, tam constante matrimonio quaesita, quam ex alia honesta causa profecta, communicantur, per expressa verba: Da aber die Eheleute / ohne besondere *Paction* und Bedingung/ oder Versehung in die Ehe zusammen kommen / und also mit einander in der Ehe und *in communione bonorum*, zu Cölmischer Erb-Gerechtigkeit sitzen; da sollen nicht allein alle in in wehrender Ehe erworbene und gewonnene Haab und Güter/ sondern auch die/ so ein jeder Ehegat sonst in die Ehe gebracht / oder von seiner Linien her/ durch *Testament*, oder sonst ererbet / und überkommen hat / für gemein / und also ihr jedem zum halben Theil / alles nach obgedachten Cöllmischen Rechten / zugehörig geachtet werden. LR. *L. 5. t. 4. §. fin.* Si vero pactis, mulieri locupleti, aliter fuerit provisum, tunc & standum iis, LR. *L. c. §. 1.* & secundum ea quoque judicandum LR. *Lib. 1. t. 24. a. 15. §. 12.* Est tamen notatu dignum in Jure Prutenico, quod nonsolum in conjugio maris pauperis, & foeminae locupletis, illatae doti, donatio propter nuptias minimè debeat aequalis constitui LR. *L. 4. t. 15. a. 1. §. 3. & 4.* verum etiam sine pactis communio adesse queat. Wären aber solche Personen/ so sich also Ehelich zusammen verheyrahten wolten/ so arm und unvermöglich / daß sie nichts besonders einander zuzubringen noch zu verschreiben hätten/ die mögen ohne Beding und *Pactionen*/ nach Cölmischen Rechten sich verehligen. LR. *L. 4. t. 15. a. 2. §. 1.*

§. XXXV.

Decisâ ergo quaestione, de communione bonorum inter conjuges, jam quaestio se sistit: *An maritus pauper, è bonis locupletis uxoris, sit alendus?* In foro Prutenico non facilè haec quaestio movebitur, cum hôc jure, ut probatum dedimus, deficientibus pactis dotalibus, uxor, cum universa bonorum substantia, in potestatem mariti transeat, indè, quin ex communibus ibidem bonis, sit alendus, dubium est nullum. De jure vero civili Rom., ubi ejusmodi bonorum communio non obtinet, quid erit respondendum?

dum? Et respondemus, ex aequitatis ratione, maritum inopem etiam de hoc jure, ex uxoris bonis alendum esse, uxor quippe socia facta est, tàm fortunarum, quam infortuniorum mariti *l. 22. §. 7. ff. sol. matr.* non tantum ex bonis dotalibus, quod extra dubitationis aleam est, arg. *l. 29. C. de Jur. dot. l. 73. §. 1. ff. eod.* sed & ex paraphernalibus, arg. *l. pen. ff. de agnos. vel alend. lib. l. un. & Auth. praeterea C. Unde vir & uxor.* Vid. Carpz. *Jpr. for. P. 3. C. 25. d. 7.* Quoniam tamen contra honorem mariti esse videtur, ab uxore ali, & in ejus quasi cura esse *§. 2. J. de injur. l. 2. ff. eod.* magis consultum ei erit, si pauper maritus agat, ut sibi dos, pro conditione & dignitate sua, ex locupletis uxoris bonis, constituatur, ex quâ tantum fructuum percipere queat, quantum ad se sustentandum, opus habeat, *l. 19. ff. de R. N. l. fin. C. de dot. promis.*

§. XXXVI.

Ulterius quaestio movetur: *An ex bonis uxoris locupletis, debita, à marito paupere contracta, sint exsolvenda?* De jure Romano res expedita est, uxorem non teneri aes alienum mariti exsolvere, per *l. 1. & 2. C. ne Ux. pro mar.* Quid moribus vero obtineat, quaestio ut expeditu difficilis, ita & evolutione non indigna. Respondent DDres attendendum esse, qualis bonorum communio, in eo loco, ubi quaestio haec movetur, vigeat. Alicubi enim communio omnium bonorum, tam praesentium, quam futurorum adest, ad instar societatis omnium bonorum, *l. 3. §. 1. ff. pro soc.* alibi bonorum, quae ex quaestu, & negotiatione conjugum veniunt, ad modum societatis simpliciter bonorum, *l. 7. l. 8. ff. eod.* alibi quorundam saltem in specie bonorum, societati particulari haud absimilis, arg. *l. 5. pr. ff. eod.* atque à societate legali, quae est de jure Rom., ad societatem conjugalem, quae moribus obtinet, inferendum esse, dicunt. Quam applicationem, cuivis juris scientiâ praedito, facere

ctum, ab aere alieno, antea à marito conflato. Quod attinet aes alienum, ſtante matrimonio conflatum, illud ex communibus bonis exſolvendum eſſe, concors fermè DDrum ſententia eſt, & clara quoque juris Prutenici hanc in rem verba ſunt: Alle Schulden / ſo in wehrendem Eheſtande von Mann oder Weib / in Kauffmannſchafft / oder ſonſt bey denen von Städten gemachet werden: dieweil nach Cöllmiſcher Gerechtigkeit / wann keine *pacta dotalia* verhanden / Mann und Weib / *in communione*, oder Gemeinſchafft der Güter / auff gleichen Gewinſt und Verluſt gewidmet ſitzen: Sollen aus ihrer beydem vollem Gut / ohne alle *praerogativa* der Mitgifft / oder ander Begnadigung in beſchriebenem Rechte dem Weiblichen Geſchlechte verliehen / gegolten und bezahlet werden. LR. *L. 1. t. 24. a. 15. §. 18.* Audis & rationem hujus diſpoſitionis: quia in hac ſocietate, ſicut omnia lucra communia ſunt, ita & omnia damna, arg. *l. 10. ff. de R. J.*

§. XXXVIII.

Quod concernit aes alienum, ante matrimonium conflatum, diſcors eſt DDrum opinio, quid dicendum de iis locis, ubi omnium bonorum communio obtinet. Alii amplectuntur ſententiam affirmativam, ob rationes: quia ubi omnia bona communia, ibi etiam omnia nomina, tam activa, quam paſſiva, inter conjuges communicari, conſequens ſit. Et creditores hôc argumentô defendi queant: quod foemina locuples contrahens cum mare paupere, videatur quoque cum creditoribus ipſius contraxiſſe, cum ſociam utriusque fortunae ſe ſpopondit, indè proverbium natum eſſe diunt: Die den Mann nimmt / die nimmt die Schulden mit. conf. Wiſſenb. *ad l. 1. tit. C. ne ux. pro mar.* Alii negativam defendunt, ob rationes: quia iniqvum videatur bona uxoris, aliorum gravi ſudore parta, debitis mariti ſubjici, ubi nec factum nec culpa uxoris ſubeſt, & hôc modô multorum fraudibus feneſtra aperiatur, non procorum modo, quibus, decipere foemellas, haud difficile eſt, ſed tutorum etiam, imo cognatorum, quibus non inſolitum pupillas, aut cognatas pecuniosas, debitoribus ſuis, doloſè elocare, ut de alieno, quod ſervare debebant, recipiant, quod à debitore alias non recepiſſent. Vid. Mev. *ad Jus Lub. L. 1. t. 5. a. 7. n. 33. ſeqq.*

§. XXXIX.

§. XXXIX

In hac oppositâ opinionum diversitate, admodum nobis placet illa DDrum distinctio, an sciens prudensque foemina viro antea aberato nupserit, an ignara? Priori casu, censetur approbasse mores mariti, *l. 41. §. 4. ff. de jur. dot.* quare stultitiae & levitati suae impensum ferre debet, quod tali viro nupserit *l. 3. §. fin. ff. ut in possess. legat. l. 5. §. hic illud quoque C. de sponsa.* Posteriori vero casu, aequum est, ut bona uxoris conserventur, & pro debitis mariti, de quibus nullam, vel per se, vel per alios, scientiam habere potuit, non exeutiantur. Alias enim si mulier pro debitis, ante matrimonium conflatis, sibique ignaris, luere deberet, reliquum vitae suae in miseria transigere cogeretur, quod magnam iniquitatem saperet. Haec distinctio quoque fundamentum habet in Jure Prutenico *L. 1. t. 24. a. 15. §. 17.* Da es sich zutrüge/ daß ein Gesell / Wittwer/ in oder ausser Landes heimliche Schulden gemacht / und eines ehrlichen Manns Tochter alhier auf dem Lande / und Städten gefreyet / welche selbsten / oder auch dero Vater oder Freunde von den Schulden nichts gewust: So sollen sie aus der Frauen zugebrachten Heyrath-Gut/ es wären darüber pacta dotalia aufgerichtet/ oder nicht/ nicht zu zahlen schuldig seyn; sondern die Frau mag dasselbige vor das Ihrige vertheidigen / und behalten / weil sie es nicht genossen / und so übel verführet ist worden. Quam praetensam ignorantiam tamen, uxor juramentô probatam reddere debet, teste Amplissimô & Consult. Dn. D. Gruben, Consiliario Aulico gravissimo, Patrono nostro multis nominibus colendo, in *Compendio Jur. Pruten. Lib. 1. t. 24. a. 15. §. 17.*

§. XL.

Ex quo fundamento sequitur, etiam solutô matrimoniô absolvi viduam, ab exsolvendis debitis praedefuncti mariti, jam ante initum conjugium, conflatis, non quidem propterea, quod communio

§. XLI.

Consideratis effectibus hujus conjugii, ad ea, quae *contraria* ei esse possunt, progredimur, quorsum, non tantùm quae conjugium dissolvunt, sed & quae cum causa efficiente pugnant, referenda. Contrariari autem consensui hôc locô *error fortunae* videtur; Si scilicet foemina locuples, in matrimonium viri consentiat, quem credebat divitem, ex post facto vero, eum pauperem comperiat, aut qui se jactabat divitem, modo ut foeminae pecuniosae, per nuptias, compos fiat, hinc quaeritur: *An hujusmodi error vitiet conjugium?* & respondetur: Error fortunae, conjugium purè contractum, non dissolvit, per *c. un. caus. 29. qu. 1.* Sub conditione vero initum, impedit, quoniam tamen matrimonia non debent ex lucro pendere, sed solis animis honestus amor, docente Ulpiano in *l. 3. pr. de donat. int. V. & Ux.* aestimandus, honesta ingenia non solent dirimere hoc conjugium. Vid. Beust. *de matrim. c. 34. p. m. 196. 170.*

§. XLII.

Contrariari deinceps videtur huic conjugio *dissensus parentum*: quemadmodum enim eorum officium est, liberis de honesto matrimonio prospicere, *Deut. 7. v. 3.* ita si justam ac sufficientem dissentiendi causam habent, conjugia liberorum impedire possunt. Quaeritur ergo: *An parentes allegantes paupertatem viri, qui filiam in matrimonium sibi dari petit, justam dissensûs habeant causam?* R. neg. quia consideratio divitiarum non ingreditur substantialia, sed saltem accidentalia conjugii; parum quippè bona fortunae ad ejus integritatem faciunt, licet, ad commode feliciterque vivendum, multum inserviant Quare si filia sponte noluerit desistere, Consistorio incumbit supplere defectum consensus paterni, Carpzov. *Jpr. Eccl. L. 2. d. 55. n. 4. & 7. seqq.* Enim vero si parentes docere possunt, marem pauperem, simul ad regendam familiam, & instituendam rem domesticam, ineptum esse, justam dissentiendi causam habent, quia omninò praecavere debent, ne per matrimonium filia ad paupertatem, & miseriam deducatur. Dn. Stryck. *U. M. ff. L. 23. t. 2. §. 55.*

§. XLIII.

Contrariari conjugio huic etiam videtur *repetitio dotis constante matrimonio.* Hinc quaestio: *An uxor locuples, dotem, constante ma-*

matrimonio, repetere à marito paupere poſſit? Regulariter quidem, tantum ſolutô matrimoniô, dos repetitur, ex accidenti tamen, ob inopiam mariti, etiam conſtante matrimoniô, repeti poteſt. per *l. 24. pr. ff. ſolut. matr. dos quemad.* & *l. 29. C. de Jur. dot.* Quod in foris quoque Germaniae adhuc uſum habet, ſi vel foemina pauperi ignara nupſerit, vel ſtante matrimonio, maritus ad inopiam vergere incipiat, modo, paupertas aut prodigalitas mariti, ſufficienter probata. Carpz. *Ipr. for. P. 1. C. 28. d. 69. & P. 2. C. 24. d. 11.* Sed hoc cum grano ſalis accipiendum, nempè ſi uxor actione perſonali repetat dotem, maritus pauper, non, ad ſaccum usque & peram, eſt condemnandus, ſed quantum facere poteſt, propter beneficium competentiae, quod habet, vi cujus, tantum retinet de bonis dotalibus, quantum neceſſe habet ad neceſſaria vitae ſubſidia, juxta ſtatum & conditionem ſuam, *l. 12. ff. ſol. matrim. l 17. ff. de re jud.* imò ſi nihil poteſt ſolvere, quin egeat, tamen hoc privilegiô gaudet, per generalem *l. 7. §. 2. ff. de tribut. action.* ut habet Ampliſſimus Dominus Melchior Lübek, S. R. M. Secretarius Intimus, Patronus & Fautor meus, omni honoris & amoris cultu, proſequendus, in *Spicilegio de Beneficio Competentiae §. 10. pag. 29. & 30.*

§. XLIV.

Imprimis *dolus* huic matrimonio adverſari videtur, qui ſolet admitti, quando pater ſponſae, mari pauperi pinguem promittit dotem, eâ mente, ut ipſi, ad matrimonium cum filia ſua contrahendum, inducto, minimè exſolvat. Siquidem, quotidianâ experientiâ teſte, homines ſoepè tam faciles, imo impudici ſunt, ut aureos montes promittant, in exſolvendis vero promiſſis, admodum tardi, imo moroſi reperiantur. Hinc hôc locô quaeritur: *An maritus pauper, propter dotem promiſſam, & non ſolutam, uxorem domo expellere poſſit?* Affirmant non nulli hanc quaeſtionem, ad verba *l. fin. C. ad SCtum Vel-*

Digitized by Google

Etam l. fin. C. de facto, non de jure intelligendam, docet Dn. Brunnem. *in Comment. in Cod. ad hanc leg.* Sed prudentia hic suadet marito, uti ope & imploratione officii judicis. Hôc, si utatur gener, contra socerum, remediô, manente matrimoniô, & ostendat, se, specie futurae numerationis, inductum esse, tunc socer, non gaudet beneficio competentiae, sed etiam ultra id, quantum facere potest, condemnatur, quia censetur egisse, ut socero insidiaretur. *l. 84. ff. de Jur. dot.* Vid. Ampliss. Dn. Lübek. *cit. Tr. §. 14. p. 38.*

§. XLV.

Haec, de conjugio maris pauperis, & foeminae locupletis dixisse, sufficiant. Plura quidem adhuc examinari potuissent, v. g. *An foemina locuples, intercedens pro marito paupere, obligetur? An propter mariti debita, intarcerari possit? An imperiosa, quae simul sterilis, amittat privilegium dotis? &c.* Verum cum isthaec, partim, ex adductis principiis, dijudicari, partim, ad conjugium in genere, referri queant, iis, ut tempori & chartae parcam, non immorabor, sed operâ hâc supersedebo. Caeterum Lectorem, Benevolum, obnixe & humanissime rogatum velim, ut, tum ea, quae, vel praetermissa, vel minus accuratè pertractata, ob temporis angustiam, & ingenii mei imbecillitatem, excuset, tùm errata, hinc indè fortè occurentia, amicè corrigat, & praeterea studiis meis benevolè faveat. Deo interim Optimo, Maximo, immortales ago gratias, pro praestitô mihi clementissimè suo auxilio, ut labor hicce feliciter potuerit perduci ad Finem.

S. D. G.

VA11521592

Digitized by Google